TENTAMEN MEDICUM

DE

PARALYSI,

Quod, divinâ aſpirante gratiâ, in auguſtiſſimo Ludovicæo medico Monſpelienſi, publicis ſubjiciebat diſputationibus,

AUCTOR,

GERMANUS MAURICE, è partitione *du Calvados*, Artium magiſter, & jam-dudùm in celeberrimâ Univerſitate Pariſienſi medicinæ Alumnus, die

Pro primâ apollinari laureâ conſequendâ.



MONSPELII,
Ex Typis JOSEPHI-FRANCISCI TOURNEL & JOANNIS-GERMANI TOURNEL,
Univerſitatis Medicinæ Typographorum & Bibliopolarum.

1791.

ARGUMENTABUNTUR

ILLUSTRISSIMI PROFESSORES

D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Universitatis Cancellarius.*

D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

D. FRANCISCUS BROUSSONET.

D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

D. HENRICUS FOUQUET.

D. JOANNES-BAPTISTA-TIMOTHEUS BAUMES.





TENTAMEN MEDICUM

DE PARALYSI.

MOTUS & ſenſus pendent à nervis : quæcumque autem poſſunt lædere nervos ita-ut motus vel ſenſus, vel uterque ſimùl aboleatur vel imminuatur *cum muſculorum laxâ immobilitate* quæ paralyſim diſtinguit à tetano in quo morbo omnia rigent cum motus impotentiâ (1), procreant paralyſim perfectam ſeu imperfectam quæ poſtrema *pareſis* nomen audit (2). Ut curatio paralyſis rectè inſtituatur, neceſſarium ſit igitur cauſam productricem agnoſcere, nam, *ſublatâ causâ*, tollitur effectus. Aliquandò tamen, curatio non poteſt abſolvi, licet cauſa tollatur, ut in paralyſi à ſectione ſeu quacumque nervorum diſruptione quæ ſit inſanabilis; & in aliis ſpeciebus, effectus, propter nimiam in ſyſtemate nervoſo læſionem, non poſſunt ſanari niſi per remedia propriè dicta antiparalytica prudenter adhibita.

Paralyſis quando totum occupat corpus præter caput dicitur *paraplegia*; *hemiplegia* autem ſi totum corporis latus offendat, *amauroſis* ſeu *guttaſerana* in paralyſi nervi optici, & in aliis ſpeciebus nomen ſortitur partium,

(1) *Van-Swieten*, comment. tit. 3, pag. 349, ed. par.

(2) *Vogel* de cogn & curand corp. affect. t. 2, pag. 150, *Van-Swieten*, loc. cit.

ſicut verbi gratiâ, paralyſis linguæ & veſicæ &c. vel primogenita eſt vel ſuccedanea; primogenita quando nulli alii morbi præcedunt ejus invaſionem, præter torpores, ſtupores & alia quæcumque hujuſmodi ſymptomata hujus affectionis terrentia; ſuccedanea vero dicitur, ſi apoplexiæ, colicæ pictonum, diverſis febribus citiùs curatis, nec non-nullis affectionibus chronicis ſuccedat. Eſt adhùc vel acuta vel chronica & quidem intermittens ſeu periodica (3). Sympathica (4), tandem cauſæ quæ hanc procreant ſunt internæ vel externæ.

1°. Cauſæ externæ quæ paralyſim procreare poſſunt, ſunt vulnera quædam contuſiones, luxationes, fracturæ, compreſſiones, ligaturæ, ulcera (5); vapores mephitici, vapores metallorum, habitatio in domis recentè conſtructis, vel nimia in locis humidis, vel in aquâ, immoratio, roris frigus quod in regionibus calidis, paralyſim balneis calidis facilè ſanabilem procreat (6). Corpora in partibus affixa, torpillæ tactus qui ſtuporem potiùſquam paralyſim producit, frigus nimium & ſubitaneum, quæ paralyſis ſpecies ſæpè ſæpiùs in gangrænam vertitur.

Quæcumque autem affectionum internarum genera poſſunt aliquandò paralyſim procreare generalem ſeu particularem. Sic hemiplegiam à bile obſervavit illuſt. *Stoll* (7). Stuporem paralyticum pedis ex causâ biliosâ *Finke* (8). Paralyſim ex colicâ biliosâ cui refrigerantia competebant *Bianchi* (7). Illam pariter à congeſtionibus pituitoſis & bilioſis quæ medullam ſpinæ offendebant ſub fine febrium, & aliquandò ſtuporem totius cutis à crapula vino deditis productam vidit *Fernel* (10). Hemiplegiam à vermibus *Vandenboſch* (11). Pareſim ſcorbuticam quæ ſæpè ſæpiùs ſedem habet in membranis à viru ſcorbutico offenſis, & antiſcorbuticis vulgò facilè ſanabilem *Lind* (12). Hemiplegiam ab affectione hyſterica & hemiplegiam ſpaſ-

---

(3) *Vogel*, loc. cit. *Sydenham* de arthri. paral.

(4) *Cullen*, t. 2, p. 227, note de *Boſquillon*.

(5) *Vogel* loc. cit.

(6) *Cullen*, loc. cit.

(7) *Stoll*, ratio med. pars 2dus. ægrot.

(8) *Finke de* morb. bilio. anom. p. 147.

(9) *Bianchi*, hiſtor. hepat. p. 594.

(10) *Fernel*, de part. morb. & ſympt. p. 194.

(11) *Vandenboch*, hiſt. conſt. epid. verm. æger, 4, p. 146.

(12) *Lind* de ſcorbut, t. 2, p. 364.

modicam diluentibus & laxantibus ſanabilem referunt *Pomme* & *Cullen* (1). Paralyſi moris & extremitatum inferiorum affectione dyſenteriâ tentatis ſuccedere obſervavit *Zimermann* (2). Paraplegiam poſt peripneumoniam & paralyſim extremitatum in colicâ *Deſvonshire*, *Huxam* (3) ſæpè frequentioribus epilepſiæ inſultibus ſuccedere refert *Cullen* (4) arthritidi *Sydenham*(5). Sed nullis affectionibus tàm frequenter ſuccedit quam apoplexiæ quæ hemiplegîam fere ſemper procreat, ut ex omnium auctorum obſervationibus conſtat. Omnia tandem quæ influxum ſanguinis præpediunt in muſculis, vel partes nimium diſtendunt, ſicuti tumores ſchirrhoſi, anevriſmata, ſpina bifida, inflatio vertebrarum, ſanguis vel alii quilibet vel humores in partibus hærentes propter evacuationes in acutis poſt criſim neglectas, ſeu evacuationes chronicas repentè ſuppreſſas, ſæpè anſam præbent paralyſi quæ nonnunquam fit etiam poſt hæmorrhagias & evacuationes nimias ſpotaneas ſeu arte excitatas apud maniacos & alios ægros jam anteà multum debilitatos : denique venena, præſertim tenues metallorum particulæ, narcotica, frictiones mercuriales ſæpiùs repetitæ & quæcumque affectiones cutaneæ genera imprudenter repreſſa, paralyſim aliquandò procreaſſe accuſantur (6).

His cauſis internis & externis addendæ ſunt aliæ tertii ordinis quæ nec ad internas nec ad externas excluſivè revocari poſſunt ; vehementia ſcilicet animi pathemata ut ira, mœror, terror, nimia animi contentio, &c. (7). Sic à terrore mulierem paralyticam & per terrorem poſt triginta annos ſanatam fuiſſe refert *Diemerbroeck* pariter ex terrore paralyſim partium inferiorum ab umbilico in juvene poſt triduum lethalem obſervavit *Van-Swieten* (8). Paralyſim brachii poſt iram vidit *Queſnay* (9). Multa ſane exempla referri adhùc poſſent quæ magis ac magis confirmarent curationem paralyſis à medico multum prudentiæ & ſagacitatis exigere, nec mirum

---

(1) *Pomme*, traité des vapeurs, p. 40, 265, & *Cullen*, 2, pag. 228.
(2) *Zimermann*, de la dyſenterie, pag, 15.
(3) *Huxam*, p, 255 & 415.
(4) *Cullen*, loc. cit.
(5) *Sydenham*, de arthri paralyſi.
(6) *Vogel* & *Cullen* loc. citat.
(7) *Vogel* loc. cit.
(8) *Van-Swieten* loc. cit.
(9) *Queſnay*, de la gangrène, pag. 332.

esse quare solutio hujus affectionis tam diverso modo sæpè facta fuerit.

Varia sunt autem observanda in curatione para lysis, tum ratione symptomatum & partium affectarum, tùm ratione ætatis, debilitatis & temperamenti ægrotantium, quæ in prognosi maximi sunt momenti, ut-pote quæ faustum vel funestum præsagiant eventum; sic cum fructu tentanda est curatio paralysis in quâ sensus remanet cum tremore partium, & quodam puncturæ vel fornicationis sensu, cum pulsus est vel fit magis æqualis ordinatus & fortior si fortes & juvenes occupet, quæ recens est, exceptâ tamen paralysi ex dysenteriâ quæ faciliùs sanatur quo vetustior est (1). Tandem hemiplegia faciliùs curatione quam paraplegiâ, & paralysis partium nferiorum faciliùs medelam accipit quam paralysis superiorum (2). Paralysis autem oris, cordis, pulmonum musculorum respirationi inservientium brevi lethalis (3). Dolores qui in partibus affectis oboriuntur in paralysi apoplexiæ succedaneâ boni sunt adhuc ominis (4). Contra in paralysi perfectâ inveteratâ, in quâ nullus remanet sensus, frigus, emaciatio, tumor œdematosus partium; *pulsus parvus languidus atque tardus non nihil ordinatè intermittens* (5). Resolutio arteriarum quæ paralysis in gangrænam brevi immutatur (6), convulsiones, &c. funestum præsagiunt eventum, præcipuè in senibus qui vitam libidinosam degerunt. Attamen in paralysi perfectâ & imperfectâ tantùm gradu discrepantibus competunt eadem remedia quæ medicus debet adhibere ratione gradûs intensitatis, ægrotantium idiosyncrasiæ, & prout faustos ducunt effectus vel non hoc de affectibus paralyticis quæ ab ataxiâ nervorum pendent, illæsâ organorum substantia intelligi debet: aliter tentaretur frustrà medela, & proh dolor! curatio paralysis cujuscumque speciei, multum semper sit dubia; nam hic non sunt referendæ hæ species ebrietati succedentes, & aliæ frequentes, nec-non intermittentes, quæ potiùs stuporis quam paralysis nomen merentur & quæ per frictiones cùm spirituosis liquoribus facilè sanantur (7),

Omnia signa diversis paralysis speciebus propria, & rationes quibus solutio posset operari, tradere non supervaneum sanè foret; sed hæc aggredi

---

(1) *Vogel* loc. cit.

(2) *Vogel* & *Cullen*.

(3) *Van-Swieten* loc. cit.

(4) *Zimermann*, de l'expérience, tom. 3, pag. 331.

(5) *Fernel*, de pulsibus.

(6) *Quesnay*, de la gangrène, loc. cit.

(7) *Zimermann*, de l'expérience, tom. 2, pag- 263.

non ferunt vires ; nec solummodò de curatione speciali paralysis quæ, sive nulla prægressa fuerit causa antecedens, sive superata fuerit, tantùm à resolutione nervorum pendet, differere animus est ; sed tantùm quædam medîcamenta, tùm interna, tùm externa quæ in paralysis curatione aliquandò proficua fuisse videntur, referam.

1°. Remedia externa sunt balnea generalia seu localia, frigida, calida & aromatica, balnea vaporum, vapores herbarum aromaticarum, frictiones siccæ, seu cum vaporibus masthices, lîbani, galbani, mirrhœ, &c.; aquæ thermales adhibitæ omnimodo, non impræmeditato tamen, nam congestiones sanguinis in cerebro procreare possent ; epipastica, rubefacientia & quidem vesicantia ; cucurbitæ siccæ, aliquando scarificatæ, setacea, fonticuli qui in paralysi à serosâ colluvie, vel affectione quàlibet textus cellularis, cujus sedes variare videtur, nec-non in paralysi à repressione affectionum cutanearum, præsertim conducunt, errhina, apophlegmatisantia quæ & sub stimulantium scopo & evacuantium, cum successu agunt in paralysi linguæ, hyrudines, arteriotomia, venæ-sectiones, præcipue in paralysi locali & in hemiplegiâ, apoplexi succedaneâ [quâ iterum apoplexiam minatur, & fit lethalis in plethoricis ; frictiones mercuriales in paralysi à lue venereâ, & in quibusdam congestionibus pituitosis mucosis prodesse possunt, cum sæpè fluxu spontaneo sputorum mucosorum, paralysis soluta fuerit ; ignis electricus sub diversâ formâ prout commotionem levem seu fortem, generalem seu particularem, excitare vult medicus qui horumce remediorum effectibus attentè consulere debet, cum à *juvantibus & nocentibus* sæpè indicatio quæri debeat ; nam v. g. in paralysi à narcoticis & ex colicâ pictonum, ignis electricus cum successu adhibetur à multis celeberrimis auctoribus, in ejusmodi speciebus aliquando noxius fuit, ex observationibus *Stoll* (1) ratio hujus varietatis penderet - ne ad ægrotantium idiosynchrasia ? sed de causâ silet nimis modestus illust. *Stoll.*

Remedia interna ex nonnullis medicamentorum classibus desumpta, aliquando cum successu curatione paralysis adhibita fuerunt ; resolventia scilicet evacuantia, stimulantia, tonica, antispasmodica, sudorifica, &c. de his seorsim differere animus est. Sufficiat mihi tantum dicere non solum paralysis causæ attendendum esse in illorum selectu, sed etiam variis affectionibus conjunctis & partibus affectis, ita-ut in classe medicamentorum, v. g. purgantium, non indistinctè adhiberi debent quæ evacua-

(1) *Stoll*, pars 2.da, p. 390.

tiones possunt promovere ; sed ea quæ humoribus affectionis fomitem procreantibus eliminandis propria sunt, & quæ virtutem specificam in organis quibusdam exercere æstimantur. Præterea quæ paralysis causæ mederi possent, aliquando sunt rejicienda propter concomitantes alias affectiones ; sic in paralysi qui competunt ignis electricus, & alia stimulantia potentissima, tum interna tum externa, hæc remedia non possunt adhiberi si adsit hemophthisis vel si timenda esset congestionis in cerebro. Contra aliquando remedia præscribuntur ut adjuvantia, v. g. si alvus sit nimis tarda, salia neutra sub duplici scopo & ut excretiones stimulent, & ut eliminent humores viscidos, cum successu præscribenda sunt.

Ratione ætatis, temperamenti & affectus quem producere vult naturæ minister, debet varia esse medicamentorum dosis, ita ut vomitum excitent, vel tantum diaphorisim, &c. Potentissima in paralysi a congestione mucosâ mesenteriâ, resolventiâ, propinantur emetica quæ alias commotionem tantùm prodesse videntur. Pariter in aliis medicamentorum classibus, & speciei & naturæ affectionis attendendum est ; sic mirificè inter tonica conducit kina in paralysi intermittente, cephalia sunt valeriana sylvestris, salvia, &c. In cæphaleis nervosis & in paralysi epilepsiæ succedaneâ ; inter stimulantia, tinctura cantharidum scrupulosè adhibita in paralysi ex narcoticis, &c. Hæc mihi sufficiant in exemplum, sed præter medicamenta, diæta, seu conveniens vitæ regimen præscribendum est : sic alimentis (hoc tantùm de paralysi chronicâ intelligi debet, nam in acutâ aliquando diæta tenuissima præscribenda sit) concoctionis facilis moderatè sumptis vescatur æger, nam stomachus sub alimentorum pondere defessus, totius corporis vires labefactat, insanis siquidem cum laboriosa nimis fit digestio, membra languescunt, & inevitabilis fit somnus qui paralysis per se equidem brevi evanidæ statum simulat. Conducunt etiam in affectionibus paralyticis, exercitatio pedestris, equestris, seu in rhedâ ; habitatio in regione temperatâ ; situs animi alacris in quo ex *Sanctorinis* observationibus constat auctam esse perspirationem, & corpora ad motum magis apta fieri : vitanda sunt autem vehementia animi pathemata, licet per terrorem, iram, &c. Aliquando ægrotantes à paralysi liberatos fuisse constet ; tandem cum nonnullis affectibus sæpè succedat paralysis quæ superveniente alio morbo tum acuto, tum chronico, nonnumquam solvitur. Hic ars nonne posset naturam imitari, & paralysi à febre citius curatâ, febrim revocando, & à repressione herpetium, scabiei, has affectiones inoculando, &c. Nonne posset afferri medela ? Sed hæc meas superant vires, idcirco silendum.

FINIS.